

tium liberum; sicut in similibus propositionibus de nostra voluntate, quibus dicitur voluntas se determinare ad volendum, quia vult, et velle, quia placet ipsi, vel illa se determinat ad volendum, excluditur intermedium reale, et exprimitur dominium quoddam et modus potestativus *C.* ita ut per illa intelligatur, vel quod volitio Dei non sit activa, vel quod actio sit necessaria et non libera, vel quod liberum exercitium debeat aliquid reale superaddere subjecto et termino. *N.* Hinc vero patet, nullum hic esse circulum vitiosum, sicut nec in illis propositionibus quispiam eum asserit: Existit actio causæ efficientis, quia causa efficiens operatur; et causa efficiens operatur, quia existit ejus actio.

Ad 2. N. Seq. Quia quamvis pariformiter, ratione recti, denominatio Creatoris ac Salvatoris possit dici esse ab æterno, et ratione termini denominatio volentis esse in tempore; simpliciter tamen loquendo hujusmodi denominationes usurpantur diversimode, cujus usus hanc regulam statuit S. THOMAS p. 4. q. 13. a. 7. ad 3. *Dicendum quod operatio intellectus et voluntatis est in operante, ideo nomina, quæ significant relationes consequentes actionem intellectus et voluntatis, dicuntur de Deo ab æterno: quæ vero consequuntur actiones procedentes, secundum modum intelligendi, ad exteriores effectus, dicuntur de Deo ex tempore, ut SALVATOR, CREATOR et hujusmodi.* Secundum hanc itaque regulam denominatio libere volentis simpliciter tribuitur Deo ab æterno; cujus hæc etiam ratio quasi a priori assignari potest, quod Deus ut libere volens non reduplicet in recto objectum aut ejus existentiam vel actualem positionem, quæ in tempore contingit, sed volitionem Dei, quæ ab æterno est, et sic aliquid æternum: cum e contra Deus ut salvans vel creans, quia in recto reduplicat salutem vel positionem in tempore existentem, quæ vel supponit vel formaliter dicit objectum, in recto nihil æternum sed temporaneum reduplicet.

Ad 3. N. Seq. Licet enim libertas ad producendum in tempore, formaliter sit libertas ad volendum efficaciter ab æterno, cum ipsa productio oriatur ut a principio immediato a divina voluntate, quæ ex se est summa actualitas in actu secundo per modum volitionis; tamen inter efficaciter velle ab æterno et producere in tempore id discriminis statui potest, quod in primo objectum sit physice futurum, attingatur ut sit, et productio ipsa se teneat ex parte obliqui: in secundo autem objectum exercite est actu existens, attingitur respectu quo fit, et actualis productio ingreditur ut forma ad denominationem producentis.

Ad 4. N. Seq. Quia ex dictis constat, Deum juxta nos vere et proprie actum interiorem voluntatis habere non minus, quam habet actum interiorem cognitionis; cum tamen id neget AUREOLUS, et solum concedat metaphorice actum voluntatis in Deo, in quantum scilicet ita affligit, punit, benefacit eo modo, quo puniret is qui odio habet, aut benefaceret qui amat.

182. *Nec dicas.* 4^o. Pro priori ad omnem actionem ad extra debet intelligi Deus determinatus ad agendum; cum intelligibile non sit, aliquam causam se determinare ad agendum immediate ac formaliter per actionem externam; ergo pro priori ad omnem actionem Deus intelligitur efficaciter volens mundum adeoque decretum Dei liberum. *Conf.* Exercitium libertatis nunquam fit sine aliqua mutatione vel positiva vel negativa; quæ cum

juxta nos non teneat se ex parte subjecti, saltem debet esse ex parte termini: sed Deus in multis exercet suam libertatem, ubi nulla plane fit mutatio termini; uti exempla patent in actibus Dei conditionatis et inefficacibus, in electione hujus potius quam illius finis aut medii, ac in actu positivo quo Deus vult aliquam negationem, vel in libera omissione; ergo.

R. N. A. Quod dicitur non intelligibile, superius ostensum est possibile, et est admittendum ab omnibus, qui Cajetani sententiam, velle Dei liberum in aliquo contingente intrinseco stuentis, rejiciunt. Præterea magnæ perfectionis in agente est, atque hinc Deo non negandum, quod possit se determinare ad aliquid agendum ad extra, quin se determinet ad intra: agens enim quod nequit extra se aliquid producere, quin seipsum intrinsece determinet, hoc ipso est imperfectum et potentiale, utpote quod prius debet seipsum actuare et perficere, quam actualitatem et perfectionem aliis communicet.

Ad Conf. R. D. M. Nunquam fit sine aliqua in termino mutatione vel physica vel morali *C.* necessario physica *N.* Sequitur autem ad libertatis divinæ exercitium mutatio saltem moralis objecti; cum enim Deus ineffaciter vult salutem omnium, aut videt Antichristum salutem consecuturum, si taliter vocetur, illa salus a statu pure possibili transit ad statum futuri sub conditione: similiter quod a Deo assumitur ut medium vel finis, post illam ordinationem vel actus divini connotationem ad illud, moraliter jam alio modo se habet, quam ante illam vel sine illa, propterea quod jam illud ad aliud conducat, aut alia ad illud referantur. Item quoties Deus vult aliquam negationem actu, circa eam fit mutatio moralis, quatenus forma ei opposita incipit esse impossibilis; pura etiam ommissio idem præstare posset, siquidem illa locum haberet in Deo, nec repugnaret summæ perfectioni divinæ providentiæ, quæ ab æterno omnia habet digesta et ordinata, sicque circa res non futuras negative se non habet. Cum enim ex omissione mera possint in humanis varia jura tolli, atque hinc mutatio moralis fieri, idem fieret in præsentis casu: unde patet falsum illud esse quorundam assertum, quod omnis mutatio moralis fundetur in aliquo novo physico.

CAPUT II.

DE PROVIDENTIA DEI GENERATIM.

ARTICULUS I.

AN DETUR IN DEO PROVIDENTIA NATURALIS?

183. *Nota.* Providentiæ est ratio ordinis rerum in finem per media vel naturalia vel supernaturalia, prout est finis; et dicitur Providentiæ vel naturalis vel supernaturalis: item generalis vel specialis. Præter atheos, qui cum Deum negarent, omnem quoque inficiabantur rerum naturalium providentiam, hoc attributo Deum spoliare conati sunt tum gentiles nonnulli

Philosophi, tum inter Christianos hæretici Marcionitæ ac Priscillianistæ, qui vel fato ac necessitati ex sideribus aut aliunde provenienti omnia subjecerunt, vel casui ac fortunæ pleraque attribuerunt, vel certe res viles aut minutas Deo curæ non esse somniarunt.

184. *Dico I.* Res humanæ non subjacent fato.

Prob. Fati necessitas vel est inevitabilis ipsi Deo, vel independens a Deo, vel ab eo dependens: sed nulli ex his possunt subjacere res humanæ; tum quia *universim* loquendo per quæcumque earum funditus evertitur libertas humana, qua sublata, ut S. AUG. ep. 243. (al. 246. n. 2.) inquit, *noveris omnes leges atque omnia instituta disciplinae, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, supplicia, cæteraque omnia, quibus humanum genus administratur et regitur, penitus labefactari, nihilque in eis omnino justitiæ remanere*: tum quia *speciatim* ex primo sequitur, Deum nec esse omnipotentem nec liberum; ex secundo, Deum vel non existere, vel non esse Creatorem ac Dominum; ex tertio, siquidem influxus causæ primæ necessitans intelligatur, Deum vel esse legislatorem insipientem vel vindicem iniquum.

Conf. ex iis, quibus refutatur fatalis necessitas *Genethliacorum* ex sideribus deducta. Desumuntur autem partim ex auctoritate Scripturæ, Jerem. 10. 2., Concilii Brachar. I. Cap. 9. et 10. Patrum, CHRYSOST. Orat. 2^a. de Providentia (opp. t. 2. p. 758. seqq.) AUG. L. 5. de Civ. Dei fere per totum, LEON. I. ep. 93. (al. 15.) EUSEB. L. 6. de Præp. Evang. c. 6. et seq., BOET. L. 4. pros. 6. de Consol.; partim ex ratione, qua ostenditur nullum esse cælorum influxum saltem per se et directum in animas humanas ac voluntates, aut eundem libertati maxime inimicum.

185. *Dico II.* Res humanæ non eveniunt casu fortuito, sed a Deo moderatore diriguntur.

Prob. 1^a. p. Ut aliquid respectu causæ, per intellectum et voluntatem operantis, dicatur fortuitum et casuale, non sufficit quod hoc sit contra vel præter illius voluntatem, sed requiritur etiam, ut sit præter scientiam vel opinionem operantis; sed nihil præter Dei scientiam accidit, cum Deus quæcumque certo cognoscat: quin nec aliquid est præter Dei voluntatem, ut declarat S. AUG. L. 3. de Trin. c. 4. his verbis: *Nihil fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pænarum, gratiarum et retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica*; et ut ostendit ratio creaturarum in fieri, esse et conservari a Deo dependentium; ergo.

Conf. ex pluribus prædictionibus et prophetiis in S. Scriptura multo ante consignatis et eventu confirmatis, quæ demonstrant res illas non scienter tantum sed et dirigente Deo, minime autem casu aut fortuna, contigisse.

Prob. 2^a. p. Sap. 8. 1. dicitur: *Attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.* Job. 34. 13. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est.* Psal. 148. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.* Prov. 16. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Deo temperantur.* Matth. 10. 29. *Nonne duo passeris asse videntur et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?*

vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Quid autem magis casuale videri potest, quam tempestatis varietas, eventus sortium, passeris lapsus, aut capillus defluus? Idipsum ostendit cædes hominis facta a lignatore præter ejus intentionem, Exod. 21. 13. tamen Deo tributa; electio Saulis in regem, dum quæreret asinas perditas, et Josephi venditi ac incarcerati exaltatio, quæ Dei tamen consilio ac dispensatione facta constat.

Conf. Agens perfectissimum, quod res omnes producit, eas etiam ad fines suos ordinat; quia quod perfecte agit, propter finem agere oportet: sed Deus et est agens perfectissimum, et omnia producit; ergo.

186. *Dico III.* Deus rerum omnium et singularum, etiam vilissimarum, habet curam et providentiam.

Prob. I. Ex SCRIPTURA generatim: Eccles. 5. 5. *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, nec dicas coram angelo: non est providentia.* Sap. 6. 8. *Equaliter cura est illi de omnibus.* c. 12. 13. *Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus.* Actor. 17. 25. *Ipse dat omnibus vitam et inspirationem et omnia: fecitque ex uno omne genus hominum habitacionis eorum.* 1. Petr. 5. 7. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Speciatim quoad res viliores: Psal. 146. 8. *Qui operit cælum nubibus, et parat terræ pluviam: qui producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum: qui dat jumentis escam et pullis corvorum invocantibus eum.* Matth. 6. 26... *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et pater vester cælestis pascit illa. Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Si autem fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Utrique classi adde dicta de malis sive naturæ ac pœnis, sive culpæ ac peccatis: Amos 3. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Psal. 33. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Psal. 32. 10. *Dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.* Ad Rom. 9. 22. 23. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ; qua ratione, vitiorum nostrorum non est auctor Deus; sed tamen ordinator est, ut S. AUG. L. imp. de Gen. ad lit. c. 5. n. 25. scribit, et hinc providentiam Dei etiam circa mala asserit.**

Prob. II. Ex PATRIBUS, qui ex professo hanc controversiam tum contra Philosophos tum contra hæreticos tractarunt; TERTUL. L. 2. cont. Marcion., LACTANT. L. de Ira Dei, CHRYSOST. libris 3. de Provid., AMBROS. L. 1. officiorum, AUG. L. 5. de Civ. Dei, SALVIANUS Libris de gubernatione Dei, NEMESIUS de natura hominis et Philosophia, THEODORETUS Sermonibus decem de Provid. et L. 6. de Græcor. affectionibus, etc. Patrum rationes sunt:

1^a Ex intimo naturæ sensu, qui facit, ut patrato crimine Deum timeamus vindicem, et in angustiis auxilium ejus subito invocemus; TERTUL. in Apolog. c. 17., CYPR. L. de idol. vanit. n. 9. NEMES. L. de nat. hom. c. 44.

2^a Ex rerum creaturarum indigentia; ATHENAG. L. de resurr. mort. n. 5. CYRIL. Alex. L. 9. in Joan. (opp. t. 4. p. 793. D.), AUG. L. 4. de Genes. ad lit. c. 12. n. 22. PROSPER Carm. de Provid. v. 154. seqq.

3^o Ex parte Dei depromitur; et quidem 1. ex ipso nomine ac conceptu divinitatis; TERTULL. L. 2. cont. Marc. c. 24., LACTANT. L. de ira c. 4. et 9. 2. ex singulis Dei perfectionibus, Dei scientia, omnipotentia, bonitate et justitia; SALVIAN. L. 2. de gubern., AMBROS. L. 2. de offic. c. 13., GREG. L. 24. mor. c. 11. (al. 2^o n. 46.), FULGENT. L. de fid. ad Petrum, c. 3. 3. ex providentiæ cum Dei perfectionibus convenientia.

Sed neque dedecere Deum minimorum providentiæ, quod aliqui objiciebant, probant PATRES ex triplici capite; nempe, quia ex rebus vilibus nihil vilitatis contrahit, minima etiam creavit, et in his æque ac magnis mirabilis est. 1^{um} ostendit NEMES. ibid. sic scribens: *Aut ob superbiam Deus imperium et gubernationem rerum singularum despicit (quod dictu absurdissimum est) aut, sicut ipsi loquuntur, quod inquinacionem devitet. Quod si radii solares vim habent altrahendi humorem omnem, negant inquinari solem, ejusque radios, cum cæno lucem inferunt, sed integros et ab omni sorde puros manere dicunt: quomodo Deum rebus humanis profanari existimant? Hoc argumentum a comparacione solis ductum etiam ANAST. SYNAITA L. 2. de rectis fid. dogm. urget. 2^{um} CYRILL. Alex. L. 1. 5. Thes. (opp. t. 5. p. 151. A.) *Superbiæ certe vitium Deo injicere conamini, cum dicatis, non esse decens, ut minimarum rerum creator sit. Ipse autem omnium creator est etiam minimorum, et omnibus providet. 3^{um} Aug. L. 11. de Civ. c. 22. Deus ita artifex est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva sunt, non sua granditate, quæ nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt. V. PETAVIUM, de Deo L. 8. c. 2. 3 et 4.**

187. *Obj. I.* Providentiæ est 1^o. virtus composita, cum pertineat ad intellectum et voluntatem; 2^o. pars prudentiæ; 3^o. est temporalis, utpote res temporales respiciens: sed nec quid compositum potest esse in Deo tanquam ente simplicissimo; neque prudentia, utpote quæ dicit inquisitionem mediorum et consultationem; neque quid temporale, cum omne, quod in Deo est, æternum sit; ergo.

R. *Ad 1^{am} p. D. M.* Providentiæ est virtus composita compositione mera rationis C. compositione reali N. Intellectus et voluntas in Deo sunt idem; ideoque compositio, ex respectu ad intellectum et voluntatem resultans, simplicitatem nec in providentiæ nec in Deo tollit.

Ad 2^{am} p. D. M. Est pars prudentiæ, prout hæc importat perfectionem, et ordinationem rerum ad finem C. prout imperfectionem in subjectis creatis dicit, cujusmodi sunt consultatio, inquisitio mediorum, sollicitudo et labor in exequendo N.

Ad 3^{am} p. D. M. Providentiæ est temporalis secundum executionem C. secundum ordinationem N. Deus enim ab æterno cuncta sapienter ordinavit, quæ in tempore exequitur.

Inst. 1. Juxta S. AUG. in Enchir. c. 17. *Melius est quædam nescire, quam scire: sed quod melius est, Deo est tribuendum; ergo et quorundam nescientia Deo tribui debet, et consequenter eorum providentiæ negari. Conf.* Nec entia necessaria nec libera indigent Dei gubernatione; quia illa sunt determinata ad unum, hæc vero sibi ipsis ac voluntati propriæ sunt relicta; ergo providentiæ divinæ non subduntur.

R. *D. M.* Quædam nescire melius est creaturis C. Deo est melius et per

se N. In quantum per cognitionem rerum vilium impedimur a consideratione meliorum, cum non possimus multa simul intelligere; aut in quantum cogitatio malorum pervertit subinde voluntatem nostram in malum; eatenus respectu hominum melius est vilia et mala nescire: sed cum Deus uno intuitu omnia videat, nec ejus voluntas flecti ad malum possit, hoc dictum in Deo locum non habet.

Ad Conf. R. N. A. Cum enim nec causæ necessariæ ex natura, nec liberæ ex voluntate ita agant, ut inde excludatur Dei concursus et causalitas; etiam ejus providentiæ abesse non potest: præsertim quod, sicut Deus omnes effectus ordinavit ab æterno, sic etiam exequatur in tempore.

Inst. 2. Apostolus 1. ad Cor. 9. ait: *Numquid de bobus cura est Deo?* et D. THOM. p. 1. q. 23. a. 7. in 0. *Licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel bobum vel culicum vel aliquorum hujusmodi est per se præordinatus a Deo; ergo de rebus vilioribus saltem non datur providentiæ.*

R. *D. A.* et explico textum Apostoli: Deo non est cura præcipua de bobus, aut specialis, qualis de hominibus C. nulla, aut absolute Deo cura non est de bobus N. S. PAULUS hic loci declarat, licitum sibi fuisse, accipere a Corinthiis victum et alimoniam, tanquam justum laboris sui in prædicando et ministrando debitumque stipendium; idque probat exemplo *vinitoris et pastoris*, qui de vineæ fructu bibunt et de lacte gregis manducant: in cujus confirmationem adducit præceptum Deuter. 25. datum: *Non alligabis os bovi trituranti;* atque hujus sensum præcipuum negat esse de jumentis, sed vult intelligi de ministris, qui laborant et triturant in area Domini; quia homines longe magis et specialius curat Deus, quam boves.

Explico etiam textum S. THOMÆ: Numerus rerum hujusmodi non est præordinatus per se seu propter se et principaliter C. simpliciter non est præordinatus, et nequidem minus principaliter propter aliud N. S. Doctor se ipsum exponit tum hic tum q. 5. de Verit. art. 3. *Sciendum, quod aliquid provideri dicitur dupliciter, uno modo propter se, et alio modo propter alia: sicut in domo propter se providentur ea, in quibus essentialiter consistit bonum domus, sicut filii, possessiones et hujusmodi; alia vero providentur ad horum utilitatem, ut vasa, animalia et hujusmodi; et similiter in universo illa propter se providentur, in quibus essentialiter consistit perfectio universi; et hæc perpetuitatem habent, sicut et universum perpetuum est. Quæ vero perpetua non sunt, non providentur nisi propter alium; et ideo substantiæ spirituales et corpora caelestia, quæ sunt perpetua et secundum speciem et secundum individuum, sunt propter se et in specie et in individuo provisæ: sed corruptibilia perpetuitatem non possunt habere nisi in specie; unde species ipsæ sunt provisæ propter se, sed individua eorum non sunt provisæ, nisi propter perpetuum esse speciei conservandum.*

Inst. 3. Juxta S. THOM. 1. c. art. 2. æqualis est ambitus causalitatis et providentiæ: sed peccata non pertinent ad spheram causalitatis divinæ; ergo nec ad providentiæ.

Conf. Axioma est a NEMESIO, THEODORETO ac DAMASCENO usurpatum: quæ sunt in nobis, non esse a providentiæ; ergo liberæ etiam actiones subtrahuntur divinæ providentiæ.

R. *D. M.* æqualis est ambitus causalitatis et providentiæ, hoc sensu, quod

quæcumque causantur ab agente, per ejus etiam providentiam ordinantur *C.* quod quæcumque per providentiam ordinantur etiam ab eodem causentur, nisi forsitan causalitas sumatur pro permissione *N.* 1^{um} duntaxat ibid. et in corpore articuli et in resp. ad 2. docuit *S. Doctor*, minime autem 2^{um}, sed potius cum *S. Auc.* sensit, qui *L. imp. de Genes. ad lit. c. 5. n. 25.* ait: *Quædam et facit Deus et ordinat: quædam vero tantum ordinat.*

Ad Conf. R. D. A. Axioma est: quæ sunt in nobis, non esse a providentia; quatenus actiones nobis liberæ nec sunt totaliter a divina providentia, seu ab ea sola, nec ab ea necessitatem capiunt *C.* quatenus providentiæ plane subtrahuntur, nec ab ea saltem ordinantur *N.* Exceptionem priorem addit *DAMASC. L. 2. de fid. c. 29.* scribens: *Ea, quæ in nobis sunt, non providentiæ solum sunt, sed et liberæ potestatis nostræ ac arbitrii;* alteram ad alium *Damasceni* locum ex *Dial. cont. Manich. desumptum* adjungit *S. Th. L. 3. cont. Gent. c. 90. n. 6.* inquit: *ut intelligantur ea, quæ sunt in nobis, divine determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* Alterutram expositionem insinuant *NEMES. L. de nat. hom. c. 40.* et *THEODOR. L. 5. de Provid.*

188. *Obj. II.* Si qua Deo foret providentia, ea esset omniperfecta: sed quæ in mundo est providentia: non est omniperfecta, nam 1^o. non est sapiens, cum sinat mundum tantis ac tam variis concuti motibus: 2^o. non est bona, cum non excludat mala et defectus tum naturæ tum libertatis: 3^o. non est justa, cum patiat justos affligi, impios lætari et fortuna florere; ergo.

R. N. min. Quoad 1^{um}, sapientiam Dei probant hi ipsi motus et perturbationes, ex quorum effectibus mirabilia ejus consilia sæpe nobis manifestantur; si vero nobis non pateant, non ideo negare fas est; cum altitudo sit divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, incomprehensibilia judicia et investigabiles viæ ejus.

Quoad 2^{um}, quare mala Deus patiat esse, cum bonus sit, respondet *PROSPER* in *Carm. de Provid. v. 121-141.* quia, quod uni malum, alteri bonum est; unde cum Deus tanquam Provisor universalis respiciat ad bonum totius, ne hoc impediatur, permittit defectum aliquem in particularibus. Cæterum quam apte in universo mala bonis permixta sint, explicant *PATRES* exemplis picturæ, musicæ, orationis, ubi sunt contrapositiona; corporis, ubi sunt recessus ac eminentiæ, magnitudines et parvitates; terræ, ubi montes et valles etc. Speciatim vero Deus peccata permittit, ne libertas hominis destruat, sine qua meritum bonorum operum non eluceret; et ut potentiam suam ac bonitatem Deus demonstret, dum bene de malo facit, ut *S. Auc. L. 11. de Civ. c. 18.* et in *Enchir. c. 11.* ostendit.

Quoad 3^{um}, justitiam Dei in his vindicant *AMBROS. Offic. L. 1. c. 12.*, *AUG. de civit. Dei L. 1. c. 8.*, *GREG. M. moral. L. 14. c. 23. 24.* (al. 51. 52). *THEODOR. et alii*, apud *Petav. de Deo L. 8. c. 5.* rationes plures istius permissionis proferentes. Sufficere interim possunt: ut justis a levibus quibusdam noxis purgentur, tentationibus exerceantur; proficiant et probentur: ut iidem patientiæ, humilitatis aliarumque virtutum materiam habeant, et admo- neantur præsentia contemnere, vitam meliorem expectare: ut impiorum, si quæ bona fecerint, merita præmiis temporalibus compensentur: ut his

bonis, quasi illecebris, eosdem ad æternam felicitatem Deus alliciat, aut tanquam mediis instruat, quibus salutem suam mercari queant.

Inst. Providentia divina vel est generalis, vel particularis: non 1^{um}. quia sic non esset providentia singulorum: non 2^{um}. quia si in singulis spectatur bonum privatum concordare cum bono totius, sufficit providentia generalis; si autem non concordat cum bono totius, providentia particularis est inefficax. *Conf.* Sicut Regi magis convenit, rerum inferiorum curam committere ministris, quam id negotium per se gerere; sic et Deo id convenit; imo hanc providentiam videtur Deus commisisse angelis, quorum legationes in Scriptura leguntur, et nomen est Spirituum administratoriorum; ergo providentia non in Deo sed in angelis residet.

R. Providentia divina generalis æquæ ac particularis est tam quoad subjecta quam quoad fines subjectorum; quia omnium in genere et singulorum in specie curam gerit, atque ad fines proprios ordinat: si tamen finis et bonum particulare stare nequeant cum bono communi, ita præfert bonum commune, ut simul amet particulare, et vel non nisi permissive se habeat ad ejus malum, vel solum voluntate consequente malum velit.

Ad Conf. R. quoad 1^{um}. N. A. Non enim domini et potestatis argumentum est, quod Reges per constitutos a se Vicarios remotas regant provincias, et munia exerceant, sed impotentiae potius ac limitationis testimonium; cum nec ubique præsto esse, nec omnia simul saltem præstare queant: e contra Deus, qui est omnipotens, sapientissimus et immensus, propria potestate disponit et agit omnia. Quoad 2^{um}. *D. A.* Videtur hanc provinciam providentiæ commisisse angelis quoad ordinationem *N.* quoad executionem *Subd.* vel ex necessitate aut virium defectu, vel illis solis rem perficiendam cedendo *N.* ad ostendendam dominationis suæ magnificentiam et cum ac in angelis, sicut in reliquis omnibus creaturis, omnia simul agendo *C.*

ARTICULUS II.

AN IN DEO DETUR PROVIDENTIA SUPERNATURALIS?

189. *Nota I.* Cum providentia supernaturalis dicatur a fine ac mediis, quæ naturam superant; finis autem supernaturalis hominis sit æterna salus seu beatitudo, et media huic fini proportionata sint gratiæ ac dona supernaturalia: hinc quæstio ad statum naturæ lapsæ restricta profertur his verbis: An Deus habeat voluntatem salvandi omnes homines, eamque *seriam*, h. e. talem, qua non tantum exoptet ac intendat omnium salutem, sed et ad hanc consequendam præparaverit omnibus ac singulis media divinæ gratiæ sufficientia? Non autem queritur de voluntate absoluta et efficaci ac consequente; cum certum sit, multos non salvari: nec de voluntate externa et metaphorica seu *signi*; cum aliunde certum sit Deum prohibere omnibus malum, ac præcipere tum bonum tum consecutionem æternæ salutis: nec de voluntate antecedente *simplicis complacentiæ*; cum hic affectus respiciat duntaxat salutem possibilem, et quamvis in Deo sit necessarius, tamen concipitur ut sterilis et otiosus, cum vi illius præcise nullum medium applicetur ad obtinendum objectum volitum: nec de voluntate *simplicis desiderii*; quia quatenus hæc quidem activa est mediorum, sed nec efficacium, nec